



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Invictissimo Principi Lvdovico XIV. Regi Christianissimo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006



INVICTISSIMO ~
PRINCIPI
LVDOVICO XIV.
REGI
CHRISTIANISSIMO.



D suscipiendam novam editionem epistolarum Innocentii III. Romani Pontificis duabus præcipue de causis permotus sum, REX CHRISTIANISSIME; tum quia is fuit vir magnus & magnarum rerum patrator, tum quia Ecclesiæ Gallicanæ Regumque Franciæ decessorum tuorum, quos
ā ij

E P I S T O L A.

impensè ubique laudat, amantissimus; adeo ut ad Philip-
pum Augustum scribens non dubitaverit afferere gloriam
& magnitudinem sedis apostolicae pendere quodam modo
ex incolumitate regni Francorum. Vnde inter ceteros

Registr. de ne-
got. imper. epist.
64.

Reges catholicos, *inquit*, & Principes Christianos
serenitatem tuam prærogativa dilectionis ample-
ctimur, & ad ea quæ honorem tuum & incremen-
tum regni Francorum respiciunt propensiùs aspi-
ramus; utpote in cuius exaltatione exaltari credi-
mus apostolicam sedem, & in cuius depressione,
quod absit, ipsam deprimi crederemus. Quare cùm
editio illa absolveretur, non alii eam dicari debere arbitra-
tus sum quām tibi, MAGNE REX, qui & jure sanguini-
nis tenes eorum Principum provincias quos ille laudat, &
jure successionis defensor es apostolicae sedis & Ecclesiae Ro-
manæ protector. Erunt qui præclara tua facinora pace bello-
que gesta summis ingenii viribus celerabunt, teque superio-
rem dicent heroibus quos antiquitas venerata est; & id
quidem jure meritòque, cùm, præterquām quòd tu eadem
quæ illi fecisti, eò per veneris celebritate famæ ut terra fileat in
conspectu tuo, &, quod est pulcherrimum ac potentissimum
victoriae genus, fortissimas & bellicosissimas gentes terrore
perdomueris, ac munitissimas urbes famaque inexpugnabi-
les compuleris ad deditiōnem. Nos verò, qui sacrarum li-
terarum studiis incumbimus, laudamus quidem ac suspici-
mus illustria illa gloriosaque facta tua, quæ te Clodovei
Magni, Caroli Magni, Philippi Augusti, Ludovici san-
cti, Francisci primi, Henrici Magni avi tui successorem esse

E P I S T O L A.

probant ; sed tamen in primis colimus eximiam illam erga
Deum pietatem quam ubique ostendis , & caritatem in sub-
ditos tuos extra regnum Iesu Christi superiore seculo præci-
pitatos arte & industria eorum qui magis sua quarebant
quam ea quæ sunt Iesu Christi. Intelligis profectò , **R E X**
SAPIENTISSIME , loqui me de misericordiis illis qui insidio-
sorum ac fallacium ætatis illius hominum fraudibus circum-
venti , eorumque figmenta ac deliria sequentes , ac vana pro-
veris amplectentes , à veritate quidem , quod futurum mo-
nuerat Paulus Apostolus , auditum averterunt , ad fabulas
autem sunt conversi & ad insanias falsas , secumque posteros
suos traxerunt in eandem calamitatem. Tu vero , **R E X**
CHRISTIANISSIME , illos in viam revocas prudentia
& dexteritate admirabili , nihil per vim , nihil per metum
agendo , sed tantum ostensa meliore religione , & coercita
novorum hominum libertate intra terminos edictorum re-
giorum ; adeo ut multi eorum ac , ut ita dixerim , innume-
ri , qui cæco errore deviaverant à recta fide , nunc cognita
veritate , volentes lubentesque eos ritus amplectantur qui-
bus olim consecrata est Ecclesia Gallicana ab apostolicis vi-
ris qui eam constituerunt. Quæ cura religionis Dei adeo altè
pectori tuo infixa est ut quum civitas Argentoratensis , quæ
ad te coronamque tuam spectabat juxta pacta conventa
apud Monasterium VVestphalorum & Noviomagum , nu-
per ad obsequium rediisset , teque Dominum haud invita
recognovisset , nihil antiquius aut sanctius habueris quam
ut ejus Episcopum , hinc pulsum ante centum & quin-
quaginta annos , in eam Ecclesiam reduceres quæ se à
ā iij

E P I S T O L A.

Dagoberto Francorum Rege gloriatur esse fundatam. Facias ita semper, **REX INVICTISSIME**, nec unquam in tam sancto opere aut animus tuus aut fortuna lassetur; & dum Ecclesiam protegis & ornas, etiam tuo favore prosequere novam hanc editionem epistolarum Pontificis verè maximi.

SACRÆ MAIESTATI TVÆ

Lutetiae Parisiorum Kal. Ianuar.
MDCLXXXII.

Devotissimus subditus
STEPH. BALVZIUS.